



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses  
Viator**

**Millieu, Antoine**

**Lugduni, 1636**

Libri Dvodecimi Argumentum, & Synopsis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)

LIBRI DVODECIMI  
*Argumentum, & Synopsis.*

**N**OTVS *in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius.*  
Nec dubium est, quin illustrissimam illam sui nominis notitiam in domo Iacob Deus esse voluerit, hoc etiam consilio, & sine, vt cum alias latè gentes ac populos impietatis, & errorum tenebræ nefariis superstitionibus implicarent; si qui essent veræ lucis amatores, qui eam in dubiis expeterent, oculos eis liceret intendere, tanquàm ad Pharum lucis, ac religionis in domo Israël tot, tantisque prodigiis à Deo excitatam, & veri Numinis cultu illuminatam: vt illud confessæ nationes alia exclamarent, quod præfagiit Moyse Deuter. 4. 6. *En populus sapiens, & intelligens, gens magna: nec est alia natio, &c.* Spectauit Synagoga hunc gentium sensum, in Reginâ Saba obstupescente ad sapientiam Salomonis; nunc in suis initiis experitur in Iethrone, seu Raguele, focero Mosis, eiusque vniuersâ familiâ. Ille vt proditum est, Exodi 18. rerum in Ægypto gestarum, ac postea in Erythræo mari, & solitudine mirabilium famâ excitus, non generi visendi causâ magis accurrit, quàm testatissimæ lucis, quâ patrocinium Dei, & Maiestas ingerebatur ipsa spectantibus, per oculos suos hauriendæ. Itaque hospitio acceptus perhonorifico, sub illa ipsâ luminosâ nube, & columnâ, rerum mirabilium serie auditâ & cognitâ, inspectis etiam, quæ perennabant miraculis, confirmatur in veri Dei cultu; quem, vt probabilius est, antè cognorat, coluerâtque, naturalem sequutus legem. Et postquàm scrupulos illi aliquot Moses eripuit, differens de vocatione gentium generali ad salutem: de paternâ Dei, & sincerissima in omnes Adæ filios voluntate; quâ nullum respuit, nisi, qui se ipsum suâ culpâ excluderit

excluserit regno Dei, vocatione repudiata, & gratia, quæ omnibus primùm in protoparente oblata est, & postea in Christo instaurata, continuata vocatione hominum omnium plurimis, & maximis naturæ, & gratiæ operibus, & signis à mundi exordio; his, inquam, exemptis Mosis oratione scrupulis Iethro, tamen non initiatur Hebræis ritibus, neque fit Synagogæ Profelytus; Deo tamen per fidem veram, sicut Abrahæ filius verè insitus in illas veræ confessionis voces erumpit: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes Deos.* quam fidem pluribus hostiis Deo palam immolatis professus, aliquot mensibus hospitij in solitudine cum Israëlitis versatur: quamvis Moses illius aduentum scribere anticiparit cap. 18. Exodi, satis tamen constat ex rerum gestarum serie, non ante datam legem venisse, cum ex illius edicto ius populo dicentem Mosem inuenerit occupatissimum. Neque accipi potuit hospitio, quale illo capite narratur, nisi post tertium Mosis in monte dierum quadraginta ieiunium. Venit igitur in castra Raguel Sephoram reducens ad Moysem, sororem, scilicet, deinceps ad fratrem, pari cœlibatus vtrinque consensu; post tertium Mosis è monte reditum, cum certim iam in castris elaboraretur Tabernaculum: neque, nisi post illud dedicatum, ad suos est reuersus, vt valdè probabiliter opinari fas est.

1 Nuntiato in castra Iethronis aduentu, Moses modesto cum propinquorum comitatu occurrit, socerumque excipit.

2 Mutua gratulatio ex Mosis sensu, optantis gentes ad veri Dei notitiam, cultumque cum focero, & Æthiopsâ Sephora accedere.

3 Radiatam viri frontem admirans Sephora, diuino impulsu coniugalem amorem, vt probabilissimum est, in venerationem, religionemque vertit, abstinentiâ thori vtrinque deinceps religiosissimè obseruatâ.

4 Gratiis Deo primùm ritè actis in templo Raguel accipitur hospitio & conuiuio, vocatis populi principibus viris, & foeminis: miratur perpetuum Nubis

408 *Libri XII. Argumentum,*  
intentæ castris miraculum.

5 Epuli ordo, Mosis comitas Carpi munere fungentis.

6 Raguel stupet ad memoriam rerû in Ægypto, & solitudine gestarû præsentiaque ipsa diuini fauoris pignora fatis laudare nequit, Manna, Nubem, Columnam, &c.

7 Mensis remotis, gratiisque Deo actis, quæstionem ponit de causis tanti in Israëlitas fauoris: cur illam gentem sic prætulit Deus, ut cæteras nationes etiam Abramio, & Isacio sanguine editas neglexisse videatur, prælato Ismaëli, & fratribus, Isaaco: exhæredato Esau, & translato in Iacobum primigenij iure. Vnde tanta fortis inæqualitas hominibus, vno omnium parente Deo?

8 Quæstionis difficultatem professus Moses, ostendit summam Dei in omnes homines benevolentiam: sinceram voluntatem, quâ omnibus vitam expetit, ad quam facti sunt: omnes ad salutem re ipsa vocat: neminem perire nisi suâ culpâ, & eo ipso perire, quod oblatam cum gratia Dei salutem respuerit: quod aliquot exemplis confirmat. Si verò quidam insigni gratiæ prærogatiuâ à Deo bonorum suorum Domino illustres, aliis præferantur, non ideò fieri iniuriam cuiquam mortalium, quibus omnibus, quod fatis fuerit ad salutem vel oblatum, vel re ipsa datum sit in protoparente primùm; deinde gratia, vitæque in Christo instauratis. Nulla enim cuiquam, nisi ex Dei gratia, salus speranda vnquam.

9 Deus Adami lapsu, & Diaboli inuidia benè vsus; neque enim Sapientiam vicit vnquam malitia, lapsos in Adamo omnes, erigit in Christo: quem iam tum promissit mundo, & ostendit protoplastis, & posteris ad poenitentiam, & spem salutis.

10 Sed arbitrij humani libertas, ut in primis parentibus, sic & in eorum liberis abit in diuortia: vitam, aut mortem optare liberum cuique. Quod exemplo Abelis & Caini fit perspicuum.

11 Caini malitia insignis, & oculis apertis in exitium ruens spretis tot, tantisque gratiæ reuocantis luminibus, parricidium designat.

12 Fratrem

12 Fratrem innocentissimum occidit : neque sanguinis clamore terretur ad poenitentiam ; neque Dei gratia inuitante reuocatur, non vlllo conscientiae latratu deterretur, aut imminente poena.

13 Caini durities cordis, & obstinatio animi : solam corporis mortem stultè timet, & deprecatur : stigmate trepidantis conscientiae, manifesto signo inuritur ad exemplum. Sortes Abelis, & Caini dissimillimae : Gratiae, ac bonitatis diuinæ munus ; voluntatis humanæ plena ad electionem vitæ, vel mortis potestas ac libertas, illo fratrum exemplo perspicuè cernuntur.

14 Eadem Dei bonitas, & gratia vocans & inuitans omnes ad salutem ostenditur in denuntiato generali diluio:centum viginti annis designatis ad poenitentiam, cuius præconem Noënum esse voluit, dum toto illo tempore Arcam ædificaret seruandis paucis mortalium reliquiis.

15 Gigantes, & cæteri eodem ingenio, respuunt vocantem gratiam, irriso, explosoque poenitentiae præcone.

16 Pauci gratiam audiunt : octo tantùm animæ præsidio illo Arcæ seruantur ; quod inclusis animantium generibus, Deus claudit : ne poenam prætereà vllus vitæ mortalis effugiat.

17 Imbres improuisi, continui : venti fluuios eiicientes suis è fontibus & alueis, ipsùmque aded Oceanum, contractâ in se tellure, aut aère subeunte in eius cauitates, excussis foras aquis.

18 Horror præsentis vbique periculi : mortalium irriti ad fugam conatus.

19 Arca sublata fluctu, altè que, & tutò innatans : ad quam serò contendunt fatui clausâ ianuâ.

20 Sera stultorum sapientia in sensu poenarum, & conspectu horrificæ mortis: non tamen omnibus inutilis; plerique salutarem inde poenitentiam concipiunt, & timorem Dei castum, cum spe veniæ, vitæque melioris, obitâ morte, quam Dei iustitia infert in poenam sce-

410 *Libri XII. Argumentum,*  
lerum: sic vocati resipiscunt.

21 Audit, recipitque pœnitentium lacrymas, & preces Dei misericordia, quæ maluisset integris vtramque vitam dare: plures sine pœnitentia pereunt, repudiantes etiam tunc supremam gratiæ vocationem; quam alij audiunt, & sequuntur ad salutem.

22 Eadem Dei vocantis gratia ostenditur in Pentapoleos incendio, & conflagratione Sodomitarum, quos per aduenam Lotum satis admonuerat diu dilato supplicio Deus.

23 Angeli duo hospites à Loto accepti infandam totius gentis nequitiam satis ostendunt.

24 Loti consilium minore flagitio excusat vtcumque furentum violentia, quæ hominem vehementiùs conturbat: nefarium stuprum saniore consilio auertunt Angeli hospites, excæcatis ad horam impiis queis suæ iam libidines rationis oculos confixerant.

25 Exitium populis, agrisque imminens denuntiant: hortantur ad migrandum: hospiti suo propinquos donant, si migrare pariter velint. Vocantem & hortantem Lotum delirare arbitrantur; ipsique aded, quibus pactæ virgines filia generi, & domestici gratiam repudiant.

26 Lotus ipse cunctabundus ad fugam: gratiæ insigne beneficium fidem firmantis, & Angelorum manibus extrudentis domo hospitem cum vxore, & duabus puellis.

27 Conditio salutis in fugâ imperatur, perseuerantia nusquam retrò respiciens ad flammam ardentis patriæ.

28 Ignes improuisi è cœlo, terræque Sodomam, totumque Pentapolis agrum subruunt.

29 Sodomæ clades velut imago generalis incendij orbis totius prolusit, antequam Iudex armatus in nubibus veniat, cuius arma ex Sap. 5. & Isai. 59. ostenduntur.

30 Quæ fortuna vxoris Loti respectantis? Metamorphosis horrenda in stantis simulacrum salis; quod nulli imbres, nulla vis loco mouent. Inde salis micæ Sapiencia præbet omnibus ad perseuerantiam in gratiâ oblatâ durandam, atque obfirmandam.

31 Ex his liquet vocatio gratiæ pertinens ad omnes, quam serò fatentur à se repudiatam ipsi gratiæ contemptores, Sap. 5. & Pharao cum suis in medijs fluctibus.

32 Insigni gratia conspicuos toti mundo quosdam præfert Deus, vt aliorum duces, & virtutibus prælucentes: quod publicum bonum sine cuiusquam iniuria est: cum nulli propterea desit gratia; sed contra potius abundet tantis illorum exemplis.

33 Gratiarum, & munerum magna diuersitas, vt vaporum in officinâ figulinâ ab eadem argillâ, rotâque, arbitrio solo figuli; stellæ etiam mole, & claritate differentes sunt arbitrio Conditoris, & Domini.

34 Eiusdem corporis diuersissima membra diuersos vsus, & actus habent: viuunt tamen eodem spiritu, quo in vnum coalescunt corpus: ac si aliquod vitio corruptum, vrendum, vel secandum post tentata frustra medicamenta omnia leniora, non abscinditur sine summo spiritus dolore ingemiscens ad iacturam: sic Deus in reiciendis à se impiis, quos nulla gratiæ medela, quemadmodum maluisset, sanauit.

35 Finem differendi facit Moses multâ iam nocte, dilato in tempus aliud sermone de Patriarcharum prærogatiuis. Iethro confirmatur in veri Dei religione, fidéque, cuius Pharaon erectam in domo Israël agnoscit, & profitemur: plurâque per otium diuturnioris hospitij cognoscit: & illius consilio audito Moses Iudices tributim instituit spectata virtute viros.